

Sacramentum hoc magnum est, de Christo et Ecclesia.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli
ad Ephésios

5, 21-32

Fratres:

- ²¹ **S**ubiécti ínvicem in timóre Christi.
- ²² Mulíeres viris suis sicut Dómino,
²³ quóniam vir caput est mulíeris,
sicut et Christus caput est ecclésiæ,
ipse salvátor córporis.
- ²⁴ Sed ut ecclésia subiécta est Christo,
ita et mulíeres viris in ómnibus.
- ²⁵ Viri, dilígite uxóres,
sicut et Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
²⁶ ut illam sanctificáret
mundans lavácro aquæ in verbo,
²⁷ ut exhibéret ipse sibi gloriósam ecclésiam
non habéntem máculam aut rugam
aut áliquid eiúsmodi,
sed ut sit sancta et immaculáta.
- ²⁸ Ita et viri debent dilígere uxóres suas ut córpora sua.
Qui suam uxórem díligit, seípsum díligit;
- ²⁹ nemo enim umquam carnem suam ódio hábuit,
sed nutrit et fovet eam sicut et Christus ecclésiam,
³⁰ quia membra sumus córporis eius.
- ³¹ Propter hoc relínquet homo patrem et matrem
et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una.
- ³² Sacraméntum hoc magnum est;
ego autem dico de Christo et ecclésia!

Verbum Dómini.